

Sacr. æternæ memoriæ & hanc  
æterna meritis cum gloria  
virtutibus dominæ Ann...

*1 Ic 1666 Ståhlarm, A.*



National Library  
of Sweden

SACR.

26 a

Æternæ memoriæ  
& hanc æterna meritis cum gloria  
virtutibus

D O M I N Æ

ANNÆ Ståhlarm

de Kiala/Högsfögård & Lappetråst/

cui

generosi natales illustrem animum,

natalibus animus illustre decus:

& magnæ parem fortunæ cultum,

dedit, reddidit,

vice pari, pulchra, perpetua.

Lucem nobilium hæc lux matronarum,

primum amabili vultu vidit

in Högsfögård

II. die mensis Maij

Anno Christiano M DC XX VII.



1666

Patre avorum simili,

id est

inclytæ nobilitatis & virtutis viro  
militarium operum gloria clarissimo

**ACHATIO Ståhlarm**

Domino de Kiala & Högstögård

præfecto equitum.

Matre majorum insignibus

& ipsa suis nobilissima titulis

**BRIGITTA WILMAN**

de Högstögård & Lappetråst

nacta ingenium & animum

amicum virtuti, suo congruum generi,

& huic formoso hospiti formosum domicilium,

per annos teneros & adolescentiæ,

ad juventutem effloruit pulcherrimam.

Pietate materteræ

**E B B Æ W I L M A N**

de Lössstadsholm/ Kirrumpe & Lusterby/

quod patrem annum non dum nata solidum

matrem amisisset adolescens admodum,  
educta cum cura,  
ad virtutem liberaliter, caste, & sancte,  
ad suæ dignitatem fortunæ,  
magnifice & splendide.

EOQUE & INVENIT  
tantæ parem virtuti,  
tantis dignum maritum bonis,

**DN. CLAUDIUM Rålamb**  
Dominum de Bystad & Lenna/  
hujus Senatorem Regni,

qui

& RÅLAMBIÆ est lux & splendor gentis  
& suæ nobile decus Patriæ  
publicæ rei et literariæ  
grandis honos, grande præsidium.

Huic illa marito tanto,  
favente nupsit cœlo

Ann. M DC XL XIX. die XII. Maij.

Ex eo postea chara & felix mater,  
librûm trium  
masculæ sobolis geminæ, alterius unicæ.  
Maritum,  
amore summo, æterna fide  
dilexit, coluit.  
Fida domi,  
illustris sol & gloria domus,  
prudentia fuit operum,  
sanctitate præceptorum,  
pietate morum.  
Fida foris,  
bello Polonico  
in campis Varfavicis,  
in gravi morbo mariti,  
suorumque omnium  
sola valens & vegeta,  
inter hostilium telorum nimbos  
inter turbas, strepitus, clamores, fragores  
constans & imperterrita,

nusquam discedens a marito,  
nusquam a suis.

Quæ malus officia requirebat morbus,  
& morbo ipso pejor locus:

Quam ipsa requirebant officia,  
pietatem, vigilantiam, dexteritatem, fidē,  
salutari ope ægris præstitit:

& vehementiam expugnavit morbi,  
horriditatem loci,  
iniquitatem temporis.

& cum ad Portam Ottomannicam  
barbarie, fastu & astu gravem,  
difficillimo tempore,  
maritus Legatus iret:

illa Stetini dicta acceptaque salute,  
reversa in patriam,  
mariti iter precibus juvit ad Deum.

Domum rexit sedula & solers,  
ut absente Domino

domi esse scires veram Dominam.

Fortunam utramque moderate tulit.

Vitæ annis prioribus

adversa surgentem frustra pressit,

pergenti reflavit frustra.

Posterioribus

secunda evexit, auxit honoribus,

at non inflavit item.

Scilicet nobilis anima

optimi servans & tenax propositi  
antiquum suum & domesticum bonum,

pietatem servavit in Deum,

probitatem erga homines,

caritatem erga maritū communesque liberos,

benignitatem erga tenuiores

modestiam erga omnes.

Sic viventem,

ut inter rara esset exempla seculi,

ut rara bona diuturna esse, rarum est.

inclementia fati, subito abripit.

Incumbunt catarrhi totis mensibus.

frequentes nimis, violenti nimis, maligni nimis,

generosæ animæ, & omnibus dignæ aliis,  
ita molesti, ita graves,  
ut exiret habitaculo,  
die XVI. Ianuarij, ineuntis anni M DC LXVI.

Quem diem  
generosa Domina  
fatalem in terris  
eundemque  
in cœlis natalem novum habuit.

Hujus  
ferale hoc saxum,  
ut potest, loquitur vitam:  
& quod satis potest, tegit ossa;  
quando quod non potest  
nunquam potuit, nunquam poterit,  
reversum ad cœlos tegere spiritum,  
aut sub tellurem condere,  
præclaram in terris famam,  
inter bonos, memoriam bonam  
gratam, amabilem.  
Inter omnes quotquot norunt,

& norunt longe lateque multi,  
inclytam venerabilem.

Tu viator quisquis es,  
accedens grato umbris silentio,  
aut quietis potius  
beatorum conditoriis,  
beato, magnique honoris nomini  
beatæ animæ

**A N N Æ Ståhlarm**  
gratulare requiem, quam precaris tibi,  
qua illa fruitur  
in sinu creatoris Dei,  
in amplexu redemptoris Jesu,  
cœlestis fulgore lucis,  
æternæ honore gloriæ  
gloriosa sine fine,  
pretiosa inter sanctos,  
toto acceptissima  
toto beatissima  
Dei paradiso.

*M. B.*